

ſuo motu ab occidente in orientem ſeratur : quo vero remotior, eo magis contra nitatur, velociusque ſuum motum abſoluat, quamuis nulla certa ſeruetur proportio in hac tarditate, ac velocitate, vt perſpicuum eſt ex periodis omnium motuum, quas auctor retulit. Vnde inter omnes octo ſphæras inferiores, ſphæra ſtellarum fixarum, quoniam propinquiffima eſt primo mobili, tardiſſime ſuum curſum perſicit : Inter ſeptem vero planetas, quia Saturnus eſt ſupremus, etiã proprio motu tardiſſus, quam cæteri, incedit : Luna denique, quoniam maxime a primo mobili recedit, celerrime ſuum motum abſoluit.

SED quoniam auctor locutus eſt hic de numero orbium cæleſtium, motu, & ordine eorundem, operæ pretium me facturum arbitror, ſi paulo vberius explicem, quot nam ſint cæli, & quo artificio, induſtria que eorum numerus ab Aſtronomis ſit reſertus : Deinde quot motibus moueantur : Poſtremo quis nam ordo inter orbis cæleſtes ſtatuetur.

#### DE NUMERO ORBIUM CÆLESTIVM.

**N**TIQVORVM philoſophorum nonnulli vnicum duntaxat cælum eſſe affirmabant, quos pauci admodum ex recentioribus imitantur, hac vnica perſuaſi ratione. Omnis ſcientia noſtra a ſenſu oritur ſecundum philoſophorum dogmata. Cum igitur, quotieſcunque cælum intuemur, non percipiamus viſu multitudine cælorum; Sol enim, & Luna, & reliquæ omnes ſtelle, in vno eodemque cælo videntur exiſtere; & quoniam cælum ſub nullum alium ſenſum cadere poteſt, præter viſum, non eſt, cur plures cælos vno ponamus. Verum hæc ſententia nulla ratione defendi poteſt. Nullum enim corpus poteſt ſimul eodem tempore moueri oppoſitis, & contrarijs motibus; Nam dum aſcendit, ſimul descendere nequit; Et dum ex hoc loco in illum pergit, impoſſibile eſt, vt eodem temporis momento ex illo loco in hunc tendat, cum hæc inter ſe pugnent : Atqui in aſtris reperiuntur diuerſi motus, & oppoſiti; Cum ergo aſtra non per ſe moueantur, vt piſces in aqua, vel aues in aere, vt Ariſtoteles vult cum philoſophis & nos paulo poſt demonſtrabimus, ſed ad motum orbis, in quo ſunt, ſicuti nodus in tabula, vel clauus inſixus in rota aliqua ad motum rotæ; oportebit concedere plures cælos, quam vnum, in quibus reponantur aſtra illa, quæ diuerſis latitudinibus cientur. Quod vero diuerſi motus in aſtris reperiuntur, partim conſtat ex ijs, quæ auctor ſupra

H expoſuit